



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 334. Num fures ad declinandas pœnas gaudeant Asylo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

abigeatores, abactores, substractores pecorum, dicuntur Christin. *Vol. 4. decis. 203. num. 3.* quales non sunt, sed potius simplices fures, qui ovem aberrantem, vel equum in solitudine relictum abduxerint. *L. 1. §. 1. ff. de abigeis. Lauterb. l. c. §. 11. Pirh. n. 40. nisi sapius abegerint etiam unum solium, vel alterum pecus. L. fin. §. pen. ff. de abigeis. Pirh. l. c. Lauterb. §. 3. quamvis aliàs juxta textum expressum cit. hujus L. abigei non sint, qui de grege ovium minus quam decem, & de grege porcorum minus quam quinque abduxerunt. Tales item non sunt, qui animalia, quæ non veniunt nomine pecorum, ut sunt anseres, anates, gallinæ, columbæ, canes, aliæque animalia domestica, cicurata furantur. Gilhaus, *arb. crim. c. 2. tit. 30. in fine. Lauterb. l. c.* unde jam abigeatus describi potest, quod sit abactio pecorum alienorum fraudulenta, facta luci gratiâ. Harprech. *disp. de crim. abig. th. 25. §. seq.**

2. Resp. Secundo: Cum hoc crimen majus sit simplice furto & abigei improbiore fures, dum plerumque etiam ferro vel gladio utuntur, ac ita, cum vi abigunt, gravius puniuntur. *cit. L. 1. §. 3. Et quidem abigeatus, quo abiguntur pecora è stabulis, acrius & plenius puniti debet, quia fit cum effractione stabuli, quam quo ex grege, sylva, paucis abducuntur. L. 1. ff. de effractionib. Harprech. §. pœna. Inst. de oblig. que ex delict. n. 108. §. 109. Pirh. cit. num. 40. & qui frequentius hoc crimen committunt, ad gladium damnantur; cum frequentia solet augere pœnam, eamque mutare in capitale. *cit. L. 1. & ibi Brunnem, n. 1. & L. 2. ff. de abigeis.* Idque præsertim in reis humilioris fortunæ, dum honestioribus irrogatur non pœna gladii, sed relegationis aut remotionis ab ordine. Lauterb. §. 4. Pirh. l. c. aliàs pro varietate circumstantiarum, delicti & personæ pœna est arbitraria, puta metalli, damnationis ad opus publicum, aut etiam ad bestias, dum abigeatus commissus vi & cum effractione; receptores verò abigeorum, si socii criminis non sunt, puniuntur decennali relegatione. *L. 3. §. fin. ff. de abig. Lauterb. l. c.* quamvis hodiernis moribus in pluribus locis pœna hujus criminis eadem sit, quæ alterius furti, ita, ut usque ad pœnam mortis deveniri possit. *Carpz. pr. crim. q. 86. n. 3. Lauterb. l. c. §. 5.* in omnibus tamen his vel maxime consuetudo regionis spectanda. De cætero, etsi jure canonico nulla statuta sit pœna præcisè in abigeos, quia tamen SS. Canones pœnas infligunt, juxta qualitatem & quantitatem culpæ, abigeus autem, ut dictum, fur sit improbius, hoc jure major pœna ei irroganda, quam simplici furi, ad eoque Clerico reo hujusmodi criminis pœna depositionis imponi poterit. *Farin. pr. crim. p. 7. q. 167. n. 109. Pirh. l. c.**

Quæst. 334. Num fures ad declinandas pœnas gaudeant asylo?

Resp. Furibus, sive cum, sive sine re furtiva confugientibus ad asyllum Ecclesiæ ab ea nullam tribui immunitatem, sed illos inde abstrahi, & ad carceres Judicis sæcularis deduci posse, cum Harprech. Covaruvia & aliis defendunt Myler. *de jure asyli. c. 10. num. 11. & Fromman. disp. de inquisit. rei furt. th. 16. apud Lauterb. in ff. Lib. 47. tit. 2. §. 60.* iis consentientem & citantem *c. fin. de immunit. Eccles.* cujus tamen textus ad summum intelligendus videtur de fure, qui furatus est in Ecclesia, aut rem Ecclesiæ.

Quæst. 335. An & quo jure teneatur fur restituere ablata?

Resp. Non tantum jure humano, sed & divino ac naturali teneatur restituere ablata, quia ablatio hæc continet gravem injuriam proximi, cui invito res sua fraudulenter aufertur & detinetur, ac proinde ad satisfaciendum proximo pro ea præter poenitentiam, quæ DEO reconciliatur, poenamque, quæ satisfit vindictæ publicæ, necessaria est restitutio rei alienæ, & quantumvis hæc restitutionis obligatio vim non habeat, casu, quo fur non potest, & unde restituat, non habet, omnino tamen non extinguitur, sed astringitur ad restituendum pro tempore, quo ad pinguiorem fortunam fuerit reversus; ita AA. communiter.

Quæst. 336. An res furtivæ apud furem a Judice comprehensæ restituende domino, an vero Judici, officia. libus & ministris justitiæ, aut fisco obveniant?

Resp. Indubitatum est, res illas restituendas privativè vero domino, dum de eo constat, uti expressè declaravit Carolus V. in sua *Const. art. 207. & Frider. in Revers. de Anno 1559.* qui etiam abbo statuta, & consuetudines contrarias, tanquam verosabulus & corruptelas Jure divino & naturali reprobant, ex ea ratione, quod iniquum, & juri naturali repugnans sit, quod quis cum jacturâ & damno alterius locupletetur, & domini res sine factio in alium transferantur. *L. nam hoc. ff. de conditione indebiti. juncto c. locupletiores. ff. de reg. in 6.* Unde jam etiam non valet, quod opponunt quidam iniqui & avari Judices, nimirum capturam furum, custodiam, alimentationem, torturam, executionem magnas requirere expensas, ad hæc labores Judicis & officialium mereri aliquam mercedem, unde res furtivæ apud furem apprehensum inventæ motitò applicentur in restitutionem dictarum expensarum fisco, mercedemque officialium justitiæ, si quidem quæ Judici, Magistratui ex officio incumbunt, qualia sunt à criminibus, malisque hominibus purgare provinciam, ipsi absque alterius privati damno aut præjudicio præstari debent; ita Arg. *L. puta. §. 2. ff. de condition. ob turp. caus.* cum Berlich. *præf. p. 5. concl. 54. n. 32. Reiffenst. h. t. n. 45.* præsertim cum officiales istiusmodi ad hæc aliunde jam sufficiens salarium habere censeantur.

Quæst. 337. An, qui & qualiter edere possint Decretum generale, ut res furtivæ dominis restituantur?

Resp. Potest Episcopus, non item Prælati illo inferior, multoque minus potestas sæcularis contra injustum detentorem, uti etiam contra eum, qui rem furtivam ab alio detentam scit, & non revelat, edere Decretum generale, in eoque debitis monitionibus præmissis statuere, ut, qui intra certum terminum rem furtivam magni momenti non restituit, vel etiam sciens non revelat, ipso facto sit excommunicatus, ita Trident. *sess. 25. de reformat. c. 3.* vi tamen talis Decreti ad revelandum vel denunciandum non teneatur illi, qui id absque sua, suorumve infamia aut gravi præjudicio facere non possunt, uti nec illi, qui rem certò non sciunt, vel saltem per unum testem probare nequeunt. *Reiffenst. n. 48. citans Engels de sent. excomm. n. 24.* ac remittens ad Barbof. *de off. & potest. Episc. alleg. 96.*